

gnare fontibus videantur: unde quis facile inferre posset, illam hujus interpretem genuinam & legitimam minimè cenferi debere. Quomodo enim verum ex Divinis Scriptis sensum eruet, ac erutum firmis demonstrabit argumentis illa disciplina, quæ non tantùm à S. Literis longè remotas, sed etiam, quod majus est, contrarias illis sententias hinc inde quandoque docet, atque asserit, secundùm vulgatum illud, *Dantur multa Enunciata, quæ sunt vera Theologicè, ac Philosophicè falsa?* Sed respondemus concedendò, apparentem quidem, atque erroneam Philosophiam nonnulla posse S. Eloquiis aduersantia dictitare ac statuminare: At de verâ id prorsus negandò. Atque adeò dicimus, quicquid verum est aut falsum in Theologiâ, etiam verum esse aut falsum in verâ Philosophiâ: & contrâ quicquid verum est aut falsum in hâc, etiam verum aut falsum esse in illâ; nec unquam, quod in unâ verum est, in alterâ falsum esse posse: Sed ubique suavissimâ harmoniâ in veritate ac falsitate ambas convenire atque consentire.

Quòd autem addatur, quædam esse, quæ sunt vera Theologicè, & Philosophicè falsa, mirari satis non possumus. Veritas enim semper una atque eadem existit, & sibi perpetuò constans, nunquam faciem mutat, nunquam alium atque alium induit vultum, in quâcunque etiam tradatur disciplinâ ac scriptò. Quî quæso, cùm nihil aliud sit, quam sermonis cum rebus convenientia, posset unus idemque sermo rebus congruere hòc in librò, atque in aliò traditus ab illis discrepare. Sanè cùm Deus immutabilis sit, tamque Philosophiæ, quàm Theologiæ auctor, absurdissimum est cogitare illum in hâc, aliquid esse verum, docere posse, quod in illâ docet esse falsum, & contrâ in hòc esse falsum, quod in illâ docet esse verum. Adeò ut id, quod naturæ lumen verum esse dictat, lumen gratiæ non possit, tanquam falsum, repudiare; & id, quod veritati consonum asserit Scriptura, non possit ut eidem dissonum rejicere natura: Aliàs enim unum idemque & verum & falsum esset simul, quò nihil rationi magis contrarium. Quod idem etiam luculentissimis verbis exprimit Mornæus, cum in præfat. exam. lib. de veritat. Religion. sic inquit. *Naturæ igitur axiomata, & principia, naturæ, inquam, quam Deus fecit, ipsi Deo contraria esse non possunt: Est verò præterea Deus ipsa ratio, veritas ipsa. Omnis igitur alia ratio, omnis veritas ab eò pendet, ad eum refertur, extra eum ne consistere quidem potest, tantum abest, ut, quod in naturâ verum est, & rationale, in Theologiâ sit falsum & irrationale, quæ certè contra naturam non est, sed contra naturæ corruptionem, quæ est contra veram, & genuinam naturam.* Firmum igitur ac ratum sit, & maneat, inter veritatem Philosophicam & Theologicam nullam omnino pugnam esse posse.

2. Verumenimverò forsan Adversariis adhuc aqua hæreret, nisi magis particulatim ostendatur, Enunciata, quæ tanquam vera Theologicè, & Philo-

Philo-